

Dissertatio medica inauguralis de anxietate ... / submittit Johannes Christophorus Rieger.

Contributors

Rieger, Johann Christoph, -1774.
Fabricius, Franciscus, 1663-1738.

Publication/Creation

Lugduni Batavorum : Ex Officina Boutesteniana, [1724]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/vzr3dqn>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

10

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
ANXIETATE.

QUAM,
ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex auctoritate Magnifici Reſtoris,

D. FRANCISCI FABRICII,

S. S. THEOL. DOCT. HUIUSQUE, NEC NON
ORATORIAE SACRAE, IN ACAD. LUGD. BAT.

PROFESSORIS ORDINARIJ, UT ET
ECCLESIAE IBIDEM PASTORIS;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS Academici Conſenſu,

& Nobiliſſimae Facultatis MEDICAE Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summiſque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis ritè
ac legitimè conſequendis,

Publico ac ſolenni examini ſubmittit

JOHANNES CHRISTOPHORUS RIEGER,

RISENBURGO PRUSSUS.

Die XVIII. Auguſti Anno MDCCXXIV. Tempore locoque ſolitis.



LUGDUNI BATAVORUM.
EX OFFICINA BOUTESTENIANA.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30774949>

INTROITUS.

AMICE LECTOR.

Non morabor te longo sermone, recensendo occasionem, scopum, dissertationis, quam tibi offero; titulus enim hæc docet. De materia, cur ea in primis placuerit, non, credo, voles prolixè rationes meas resciscere. manet enim cuilibet sua dignitas morbo, ut qui mereatur animi attentionem, rectè ut intelligatur. Symptoma vero ut morbum tractatum non culpabis, cogitans, aequè ex suis causis, signis, cognosci symptomata ac morbos. definitio utique morbi non repugnat. Dedi operam, qua potui, brevitate & perspicuitate, exponere, quæ res requirebat. Haud aliena immiscui, nisi ubi affinis

* 2

nis

nis materia una vel altera vice id postulabat. Nihil adserui, quod non ex praemissis videbatur sequi, omittens, quæ fusius pertractanda erant, & quorum intellectus à cognitione aliorum pendebat morborum. Medicis vero scribitur medice. Rem quaerens, sæpe, fateor, puritatem sermonis romani neglexi; sed dabis, opinor, barbare interdum loquar, dum intelligar. licebat certe uti terminis in arte receptis. Ceterum, si quæ arrideant, ea institutioni Illustris doctrina, & meritis Clarissimi, Viri, Hermannii Boerhaave, deberi non diffiteor, quem docentem audivisse vehementer gaudeo, immortalique memoria semper retinebo. Ubi non est ea vis dictis, ut se tibi commendet studium meum, tenuitati ingenii mei, temporique, quo exclusus, imputes, rogo, & pro more tuo faventem te mihi praebeas judicem. Vale.



DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
ANXIETATE.

§. I.



Nxietas est sensus instantis mortis, cum perturbatione summa & destructione omnium mentis cogitationum, inexplicabili ejus tristitia, unà cum sensu gravitatis, & prementis cujusdam rei circa præcordia, vel & ad hypochondria.

En B. L. descriptionem morbi talem, qualis ex ipsius præsentis proba consideratione haberi potest. Variis venit apud Hippocratem nominibus; nam vocatur ipsi *ἀλύκη*, quasi *tedium sui & displicentia*, denominatione mutuata ab eo statu in sanitate, quò quis offensus re quam præsentem valde ingrata, ut errabunda quasi mente nesciat, quò se vertat, ad alias subinde atque alias transeuns res, & cogitationibus & actionibus; tum ipsi etiam dicitur *ἀλυσμός*, i. e. *fuga rei ingratae*; alio tempore *ἀγων*, *ἀγωνία*, qua notatur voce *certamen*, labor, item *timor*, *trepidatio*, *mœror* &c. Quæ sane nomina tetrum satis, imo maxime abominabile notant omnium malorum, quæ generi humano accidere possunt, & ex ipsa re deprompta videntur. Quis enim major & truculentior erit affectus, hominem adoriens, quàm qui, uno quasi ictu vitam prosternere minando, imponit necessitatem certandi contra hunc infensissimum hostem: quid enim homo non experitur, ut conservet vitam suam? Ubi vero summis tenetur quis viribus periculo obviam ire, cum spe victoriæ dubiæ, omni visurus se momento victum & prostratum, quanta non oritur perturbatio animi & defectus ipsius

DISSERTATIO MEDICA

rationis! Hinc dicere solent cum hoc laborantes malo, cœlum ac terram sibi incumbere. Inde videmus tot infelices eò inductos, ut sibi manus intulerint, obliti penitus, quanti se faciant reos criminis: imo fere dixerim, omnes *αυτόχειρες* per summam anxietatem fuisse ad hoc crimen perpetrandum permotos, satius esse putantes, vita carere, quam eam ducere diutius conflctantem cum hoste, cui tandem cedendum esset. Quare, videntes ægrum pauca aliquot dare signa vitæ, multa vero appropinquantis mortis, solemus dicere, quod certet cum morte. Loca sane notata, in quibus est sensus oppletionis cujusdam, innuunt periculum, in quo versatur vita, propter viscera ibi locata, ad vitam necessaria, ut eorum testantur vulnera, cor puto, pulmones, atque hepar; & vel ex horum consideratione patet, me jure quodam dixisse, esse anxietatem sensum instantis mortis, h. e. desitutæ circulationis humorum, quæ, quod duret, debet illis visceribus. Ne autem mihi moveatur lis de voce sensus, quæ videtur minus huc quadrare, dico, me per eam intellectam velim perceptionem illam de corporis præsentē conditione tali, quæ mortis præ se fert imaginem.

§. 2. Occurrit hoc malum communiter in peripneumonia; hepaticide; angina inflammatoria; inflammatione ventriculi, intestinorum; variolis; rabie canina; sævit adeoque in eos, qui morbis febrilibus obnoxii vivunt, in plethoricos, quos infestat maxime post motum corporis violentum & subitaneum; tum in ischuria; scorbuto; cachexia; a rupta vomica; in phthysicis & hecticis corporibus, aliquot post ultimam refectionem horis; in ascite, tympanitide; a podagra introversa; evacuationibus menstruis foeminarum, & hemorrhoidalibus virorum, suppressis; in quibusdam gravidis, parturientibus, puerperis, febre lactaria afflictis; in infantibus, primas habentibus vias repletas strigmentis, coagulis, lentis, glutinosis, caseosis, vel & meconio; post repletum valde cibis ventriculum, imprudenter assumpta emetica, nimium corticis peruviani usum, accepta venena; in corporibus hypochondriaca labe infectis, foeminis hystericis dictis seu vaporosis; ab ingentibus animi perturbationibus, & assumtis multum materiæ elasticæ, flatulentæ, continentibus.

His in morbis, & dictis casibus, anxietas multoties a Practicis observata, plus minus violenter, afficere humanum genus, ut effectus ex causis, ponentibus memorata mala, ceu ex eorum cognita natura

cui-

cuiuslibet patet quam clarissime. In primis vero in morbis inflammatoriis, acutis, & frequentissime in hypochondriacis, hystericeis, affectionibus solet occurrere. Quomodo hæc sic cognita ducant animum in cognitionem mali ipsius, quoad suas causas, in sequentibus deducetur, quantum tempus & proposita brevitates permittent. Ceterum non credo, me omnes omnino casus recensuisse, in quibus anxietas solet torquere homines; attamen cunctos ejusdem cum dictis esse indolis antumo, ut, qui omitti, inde judicari possint.

§. 3. Dum vero hominem invadit hocce malum (1.), his ferre phænomenis se manifestare solet. Magna est respirationis difficultas, cum oppletionis pondere ad thoracem, hypochondria, & suffocationis metu; mens vacillat, omnium rerum sentit tædium, & moleste ad quæsitæ dat responsum; pulsus vix sentitur; pectus calet quam maxime; facies rubet præter solitum; extrema frigent; vox est debilis, clangosa; tussicula infestat perpetua, cum siccitate narium, oris, linguæ, gutturis; inquietas videtur magna, jactatio, anhelatio suspiriosa, pervigilium: in aliis est tumor ad hypochondria; flatulentia in abdomine; salivæ in os affluentia.

His anxietatis affectu correpti advertuntur stipati incommodis, non tamen omnes, semper, omnibus. Oportebat autem cuncta hæc huc adferre, ut essent normæ instar, juxta quam inquirendum erit in generales causas mali, talia phænomena habentis communia. Quæ tum huic illive in specie anxietati propria sint, patebit post evolutas causas.

§. 4. Post dicta (2. & 3.), de causis mali ita concludendum videtur. Illa (2.) ponunt: α . sanguinis nimium motum, inflammatoriam *Algeton*, ejusque in certa aliqua parte corporis stagnationem, & hinc pendentes obstructions; β . materiam tenacem, viscosam, adstringentem, obstipantem; γ . materiæ irritantis, acris, putris, abundantiam; δ . corpus aliquod comprimens vasa & viscera adjacentia; ϵ . spasmodicas contractiones, violentasve fibrarum constrictiones. Ea vero (3.) ponunt hæc eadem; tum depravatum circulum humorum, ita, ut concipiantur simul læsiones functionum, maxime vitalium, & independentium secretionum. Cuncta hæc præbent ideam mali

quoad suas causas antecedentes, nec fore difficilem promittunt causæ proximæ expositionem.

Nihil facilius in pertractatione morborum habetur, quam eorum docere causas remotas, quæ semper multiplices sunt admodum, uti omnium fere docet methodus curatoria, quæ vix unquam semper requiritur eadem; quod & de præsentī materia in sequentibus constabit. Nihil autem contra difficilius, quam assignare morbo cuilibet præsentī causam suam proximam, maxime cognitu requisitam, ne ignoretur possibilitas, modus, locus, adplicandorum remediorum. Quæ tamen difficultas hic levi negotio superatur, tum ex cognitione morborum illorum, quorum confectarium est anxietas, tum ex consideratione locorum (1.), quousque dictorum (4.) recipiendorum sint capacia, ut producat morbus. nam hæc docebunt liquidò causam proximam.

§. 5. Ubi hæ causæ (4.) adplicantur ad pulmones, vel & ad venam portarum, cum illo vero effectū physico, ut jam imminentem nuncient mortem, constituunt mali causam proximam; quæ proin nil aliud est, quam interceptus sanguinis circulus per pulmones, per venam portarum. Prius contingit vel vitio hærente in pulmonibus, quo impeditur sanguinis liber transitus per arteriam pulmonalem; vel a nato obstaculo ad arteriam aortam prope cor, impediēte sanguinis ex cordis sinistro ventriculo expulsionem. Posterius fit ab omni causa, quæ facit sanguinem non libere posse fluere per hepar. Unde duplex, ex sede sua, concipi potest anxietatis species; quarum altera ad pulmones, ad venam portarum altera.

Jam, ut clarus habeatur intellectus causæ proximæ assertæ, & methodo electæ suæ constet ratio, bina hic deducenda esse videntur: 1. quomodo dictæ illæ causæ remotæ (4.) faciant proximam, seu morbum ipsum, ut intelligatur fundamentum dictorum (2); 2. cur præsentibus illis (5.) fiant memorata (3). Utrumque brevibus demonstrare adgredior binis sequ. §phis.

§. 6. Quamdiu est circulatio sanguinis per pulmones, inde per cor sinistrum, & hinc in arterias, tum in cor dextrum, rursusque ut ante, tamdiu durat vita. Requiritur autem ad illam proportionata magnitudo liquidorum ad vasa. &, ut hæc per-

permaneant, non debet liquidum vitale vel per momentum absolute quiescere, nec nimis cito, violenter, propelli; utrolibet enim modo peccet ejus motus, minuitur fluiditas, aboletur dicta proportionata magnitudo, depravatur tota circulatio. Jam, ubi fiunt concitati, vehementes, per cor & pulmones, sanguinis motus, hic fit densior, & vasa, ab impetu, quem patiuntur, evadunt latiora, hinc ille adigitur plus solito in vasa minora, ad quorum veniens ultimas angustias ineptus est ad transfluendum. Sed cum hoc augmentum motus humorum in corpore nostro occurrat in conditionibus (4. a.); cognoscitur, quam apti sint morbi hujus classis (2.) ad producendam causam proximam (5.) Onustum sit corpus materie descripta (4. β.); humores minus movebuntur, fient immeabiles, facient obstructions sine febre; & morborum a tali causa ortorum (2.) effectus non latet, si applicatur ad loca (5.) Abundet in corpore humano materies (4. γ.); observant Practici fieri febres; hæ autem cum sint repetitæ nimis & violentæ contractiones cordis, & sanguinis ex corde expulsionem, notant motum in corpore auctum; adeoque intellectum nostrum instruunt de effectu morborum (2.), in quibus obtinet talis materies. Hæreat alicubi in corpore causa illa (4. δ.); a vasis tum in vicinia compressis humores transfluere impediti, regurgitantes, accumulabuntur in aliis, ibi compingentur; adeoque fient eadem, quæ ab alia quacunque obstructions creante causa concipiuntur, h. e. ea, quæ (5.): unde non ignorantur, quæ a graviditate, a partu, aut aliis hinc ortis malis (2.) pendent. Si jam adsit conditio (4. ε.); partes constrictæ amittunt naturalem capacitatem suam, & hinc liquido transfluxuro liber denegatur transitus, atque, si causa sit materies elastica, hæc excitata in dilatationem, membranas claudentes adprimit vicinis; unde rursus, productis obstructionibus, fiunt similia sæpe dictis & illa (5.); intelligiturque, quare frequens sit malum viris hypochondriacis, & fœminis hysteris &c. (2.). Præter hæc, si consideretur fabrica & pulmonum, & hepatis; ibi vasa arteriosa tenerrima, proxime adjacentia vasis aëreis bronchialibus, hæcce comprimere, aëris adplicationem, sanguinis

cursum promoturi, impedire; hîc copiam vasorum sanguineorum arteriosorum, sanguinemque per arterias coeliacas & mesentericas huc allatum, obstructis, compressis, venis mesentericis, in venam portarum se effundentibus, stagnando vasa sua extendere & arterioso fluento resistere, interim arterias dictas, destitutas valvulis, facile distendi ab admissio sanguine regurgitante: si denique additur situs & hepatis, & pulmonum, ad viscera magna chylopoietica sæpe nimium quantum infarcta, & ab ingestis in qualitate multum mutanda; demonstratum esse credo valorem causarum remotarum ad gignendam causam proximam.

Altius non licebat repetere negotium pro ponendo fundamento dicendorum, ne fierem obscurus, & quia generalia huc transsumta, alibi demonstrata, sufficere putabam cuilibet vel leviter principiiis medicis imbuto. Quæ dein his præsuppositis superadduntur, non alieno videbuntur posita loco, indicant enim ex causis suis proximis pendentes effectus illorum morborum, in quibus occurrere solet anxietas. Fusius vero singula hic deducere non permittebat proposita brevitatis, nec credo quicquam, habita cognita singulorum morborum natura, futurum obscurum. De quibus interim res non ita clara videri posset, de iis me paucissimis explico. Et quidem, quod ad plethoram attinet, nulla difficultas supererit, si tantum consideretur, quod ex dilatatione vasorum nimia majorum minima comprimantur, stagnantes vero humores facillime putrescant, adeoque hæc conditio corporis maxime sit proclivis ad subeundum illum statum (4. a. γ.). Unde Celsus, probe perspectam habens indolem plethoræ, lib. 2. cap. 2. dicit: *Si plenior aliquis, & speciosior, & coloratior factus est, suspecta habere bona sua debet. Quæ quia neque in eodem habitu subsistere, neque ultra progredi possunt, fere retro, quasi ruina quædam, revolvuntur.* Conf. G. E. Stahl de Vset. in febr. acut. §. 52. Scorbutum, & cachexiam, prout vel tenax, vel nimium dissolutus sanguis peccat, ad suam facile retuleris classem. Venena cum non sint unius naturæ, ad certam classem non licuit reducere, cum singula nominanda fuissent; quare pro sua indole ordinabuntur ad hanc illamve classem. De evacuationibus menstruis foeminarum, & hæmorrhoidibus, suppressis, idem debere teneri, quod de plethora modo dictum, res ipsa loquitur. Sed quid, dices, usus corticis peruviani confert ad unum ex illis (4)? Ad quod ut distincte respondeam, dico: vel consideratur cortex peruvianus, quatenus agit virtute sua singulari seu specifica in febribus intermittentibus, vel quatenus agit virtute, quam cum aliis medicamentis habet communem.

De

De priore jam mihi non est sermo, eam enim hætenus nondum innotuisse crediderim, (*vid. Sydenh. oper. Lips. 1695. p. 377. B. Ramazzini oper. Genev. 1717. p. 219.*) ergo ex posteriore hic erit deducendum, quod per fidam satis experientiam constitit inter optimos Medicos clinicos. Sed hos frequens docuit observatio, 1. immoderatum, imprudentem, hujus medicamenti usum, dedisse pertinaces omnis generis obstructions. (*vid. G. E. Stahl Opusc. Chym. Phys. Med. Hal. 1715. p. 446. Ejusd. Disp. de novit. Med. §. 55. Ramazz. l. c. p. 225.*) 2. eundem corticem profuisse, ubi requirebantur roborantia, adstringentia. (*vid. Sydenh. p. 519. 570*) Ergo virtus habetur corticis peruviani ad producendum statum (5), quatenus nempe consideratur, ut adstrictoria virtute adficiens corpus, (*vid. B. Ramaz. l. c. p. 233. 235. Stahl Disp. de naturæ error. med. p. 45.*) adeoque reducitur ad §. 4. β. Ad alterum jam transco punctum.

§. 7. Quomodo phænomena (3.) ex assertis (5.) fluant, jam indagare jubet ordo (*vid. not. ad §. 4.*). Cum vero phænomena morbi nil sint aliud, quam in sensus incurrentia effecta, vel inde quam proxime deducta, causæ, a qua morbus productus, testantia de functionis læsione, quanta hæc sit, & de causæ valore, cujus adplicatione morbus ille factus: hinc illa explicare, erit dare ideam de potentia causarum ad organa, (5.) quorum functiones læsæ. Si itaque hæret obstaculum sanguini ex cordis ventriculo sinistro propellendo, ex quacunque causa (4.), quia tum sanguis non fluit per arterias, sed accumulatur in pulmone, non potest non sentiri magnum pondus in pectore, & a sanguine, impediens pulmonum ab aëre expansionem, respirandi difficultas; a defectu vero in arteriis liquidi vitalis pulsus debilis. Ulterius: quia omnis calor in corpore nostro pendet a sanguinis copia, tanquam causa prima materiali, eamque excitante altera, nempe motu (*conf. Boerb. Inst. Med. n. 968. & aphor. n. 675. seq. Stahl de mechanismo motus progress. sang. th. 14.*), qui hic semper aderit ad stagnantem in pulmone sanguinem, maxime conditionibus (4. α. γ.); intelligitur calor ad pectus, & cum ex eadem causa priventur sanguine extrema, horum perspicitur frigus, & simul faciëi rubor, dum nempe oppleto pulmone ventriculus cordis dexter, non potens se in eum evacuare, oppletur quoque, & facit, ut sanguis in
venis

venis jugularibus retineatur, quæ inde distentæ premunt adjacentes canales arteriosos, unde præbetur conspicuus ille color ruber. Vocis clangor ille quasi metallicus, vel lateritius, est tum a parva glottidis apertura, dum partes nimis tensæ, inflammatae, exsiccatae; tum à citissima aëris expulsionem, quia vesiculæ aëreæ compressæ cum non possunt recipere (*cujus fundamentum rei vid. in Boerb. Inst. §. 628.*); unde etiam debilis vox intelligitur. Tussis, cum semper necessitate quadam fiat physica, ubi aliquid sentitur molesti ad vesiculas aëreas bronchiales, prementis quasi corporis sensum excitantis, quod homo expectorando excussum cuperet, ejus hic ratio quam clarissime patet, quod scilicet oriatur, quando vasa pulmonalia repleta (5.), & dilatata, tumentia, exprimunt aërem ex vesiculis aëreis, hæ compressæ, lateribus se mutuo tangentibus, faciunt dictum illum molestum sensum. Concurrit hic simul siccitas partium, quas alluit aër, pulmones ingrediens, quando causa inflammatoria præsentem (4. a.), dissipatis humorum liquidis, non potest amplius tantum suppeditari per vasa minima arteriosa exhalantia, quantum requiritur ad humectandas ab aëre exsiccatas partes; vel & : quod repletis nimium & turgentibus vasis venosis, à capite versus cordis ventriculum dextrum tendentibus, arteriæ comprimantur, & secretio humoris lubricantis, oblinientis, partes illas, intercipiatur. Sed, unde pendeant mentis illæ mutatae conditiones, perspicuum evadit, considerato solum commercio, quod intercedit animæ cum corpore, cujus vi illa, pro hujus mutato statu, mirifice potest adfici, maxime omnium, ubi destructio corpori impendet, ab adfectis male partibus, in quas ipsa obtinet aliquod voluntatis imperium. Inde ceterorum phænomenorum, a mente quodam modo pendentium, habetur ratio. Jactatio corporis perpetua instituitur certe ad minuendum molestiæ sensum in parte, per mutationem situs. Hypochondriorum gravitans & flatulenta inflatio, dum notat partes ibi adfectas, quare adsit in anxietate, quæ sedem habet in hepate, a quacunque demum sit causa (4.), non difficile est scire. Tandem, cur copiosa saliva in os fluat, perspicitur ab indole causæ hic dominantis, scilicet ab impedito

dito sanguinis arteriosi transitu per obstructum hepar, unde aorta, impedita sanguinem propellere versus viscera abdominalia, cum plus urget sursum ad caput, qui per arteriam carotidem externam solito plus fluens facit majorem fontem secerndæ salivæ. Inde patet, cur Melancholici Aristoteli dicantur sputatores?

En B. L. rem, qua licuit brevitate, per sua phænomena pertractatam. Credo, me hic nihil posuisse precario, aut quod intelligentibus fabricam C. H. ansam dubitandi præbere posset. Ex quibus simul confirmata visa fuit duplex mali sedes (5.); probe vero animum advergenti adparebit, cui in primis speciei singula phænomena competant.

§. 8. Inde (2. ad 7.) constat, a multis, & oppositis quidem causis anxietatem produci, generaliter tamen in duas species dividi posse, nempe in eam, quæ à febre acuta prægressa, & eam, quæ sine hujus concursu accidit; inter quas frequentissima est spasmodica: hæcque est divisio aptissima pro inve-niendi methodo curatoria. Hinc etiam constant signa diagnostica, maxime haurienda ex prægressa inflammatione acuta, vel ejus absentia, & morbis præsentibus (2.6.); tum adparentibus (7.), ex aliqua causarum (4.).

Ne tædium pareret prolixitas, repetere jam cuncta in antecedentibus narrata nolui, bene gnarus, signa diagnostica morbi non solum facile haberi ex lectis prius dictis, sed etiam, ex qua in specie causa ortus sit, internosci posse per jam posita. Ne mireris, B. L. te nihil legere hic de anxietatis specie illa, quæ ab animi adfectibus originem suam trahit, cum tamen saltem inter sæpissime obvias recenseri meruisset. Verum est, animi adfectus tantum valere in corpus nostrum, ut, si violenti, producant fere omne morborum genus, unde & eorum est facta mentio (2.), maxime vero omnium vexare & turbare corpora Hypochondriacorum & Hystericarum, ex quavis levi causa spasmis, convulsionibus, obnoxia: quia autem ex producta prius quadam mutatione physica in corpore eorum adparet vis, hinc nunquam faciunt aliquem morbum, quin ejus phænomena, utpote effectus causæ, testentur prius de quadam alia causa corpori inhærente, ipsa corporali, quam de animi adfectu ipso. Adeoque nō voluissē ἀποδοῦν, agere, non debui eos intermiscere iis, quæ corporea constitutione sua morbum jam præsentem immediate constituunt, sed sufficiebat eos relegare ad causas remotas, procatacéticas, occasionales. Sed quid tenendum, inquis,

de anxietate spirituali, quam negare putas esse *ἀθεολογῶς*, hanc vero concessā, concidere oppidò modo dicta? Certe, dari anxietatem a causis incorporeis, ab anima, a metu v. g. inductam, nemo sanus potest negare; & hanc spirituales adpellari, primis hujus nominis auctoribus erat largiendum. Sed eo ipso jam pertinebit ad forum theologicum, nec de ea est, quod hic agam. Si tamen homo æger dicatur laborare anxietate, quocunque ea adpellatur nomine, accersitus Medicus de hoc non sollicitus, relinquens sublimiores ejus causas remotas, occasionales, tractandas, quibus id muneris datum, sui judicat officii, statum ægri quoad corpus ejus considerare, & tum consilio ac auxilio pro viribus suis, non oscitanter, agere contra illud, quod præsens in corpore morbosum indicat, quid & per quæ ex arte faciendum, ut homo morbo liberetur.

§. 9. Effectus hujus mali, pendentes a natura visceris, a duratione & a causa, ex præcedentibus intelligi possunt. Nam 1. ad pulmones & cor fient concrectiones polyposæ, a stagnante sanguine, inflammationes propter necessitatem motus hic continuandi, harumque celerrimi in suppurationem, gangrænam transitus, unde vel ex phthisi pulmonali, vel ex gangræna, suffocatione, inter perpetuas querelas de angustis ad præcordia intolerabilibus, mors. 2. Ad hypochondria si hæserit malum, magnos pariet dolores ad stomachum, patientem hic propter communicationes, quæ ipsi intercedunt cum hepate per vasa mesaraica, splenica, brevia, pressa, tracta, tensa, & cum diaphragmatis sensibilissimâ, nervosâ, parte, cui inseritur: tum propter vasa hepatica tenuia, sanguinem dilutissimum, & locum, ad subitaneas corruptiones fovendas, aptissimum, fient putrefactiones fluidorum, tabificæ destructiones solidorum, unde dysentericæ colliquativæ, tabidæ, hepaticæ, non desinentes prius, donec occidant.

Effectus recensiti tam clari sunt, ut putem, me peccaturum contra debitam Lectori B. opinionem de ejus perspicacia, si eos operose explicare adgrederer. Polyposas certè concrectiones ex positis in hoc malo causis, maxime (4.æ.), negare, videri potest, ex libidine potius fieri, contrarium statuendi, ut adpareat, semper aliquid esse, quod opponi possit tale quid docentibus, quam ex animi sententia loquendi vera; vel etiam, quod contradicatur rei, cujus idea non habetur: quid enim prohibet dicere, fieri polyposas concrectiones ibi, ubi sanguis stagnans

gnans per motum magnum, in corpore præsentem, expulso liquidissimo, crassescit, cum hoc doceat ex vena emissus in morbis acutis febrilibus? (*vid. Jo. Juncker Conspect. Medic. Halæ 1718. 4to. p. 289. Conf. Sydenh. oper. p. 333. sq. & H. Boerhaave aphor. n. 384.*), ne dicam de sanissimis & robustissimis hominibus, qui, quo magis tales sunt, eo densiorem habent sanguinem, quam debiles, & cum morbis chronicis colluctantes, quorum humores a vi vitæ non tam compinguntur ad se mutuo. Adeoque non enormis calor, vel qui esset non ens in corpore humano, requiritur ad condensandum sanguinem. Imo mortuorum ex anxietate in frigore febrium intermittentium cadavera exhibere pulmonum totum nigrum, quasi esset saccus plenus nigro sanguine, qui hic loci semper solet esse floridissimus, & nunc sic mutatus est per stasim suam, ut taceam colorem sanguinis ex corpore effusi rubrum mutari per solam quietem sensim magis in nigrum, quod quemlibet, cui experiri volupe, docebit exeuns, post leve inflictum vulnus in qualibet parte corporis, sanguis, qui, si per momentum quiescat adhærendo vulneris labio, coagulatur, exceptus vero cylindro vitreo floccescit & cõit. Adeoque per solam quietem, & quidem per parvum temporis spatium, sanguis potest concreescere & cõire in substantiam similem illi, quæ vocari solet à Medicis polypus: quid enim, quæso, unquam hæc vox in Scholis Medicorum notavit aliud, quam inspissatum sanguinem? Loquor autem de polypo circa cor nasci solito; quanquam polypus narium non repugnet huic ideæ, differens tantum materia & loco. Nec intelligi velim, ac si nullum alium, præter dictum, polypi generandi modum agnoscam, uti fieri potest immisso per venam cavam spir. nitri; nam hic de eo dicendi non erat occasio. Nec juvat dicere: ubi polypus sanguinis, ibi statim mors; quia hæc non prius, quam penitus omni circulatione sublata, neque ille illico, & omnis tantus, ut omnem plane intercipiat viam, totumque canalem infarciat penitus, vel nullo modo resolvi queat.

§. 10. Magnitudo itaque mali cognoscitur ex adfecto organo, ejus necessitate summa ad functionem vitalem; causa inflammatoria, acuta; contractione spasmodica; veneno; duratione. Levitas contra æstimatur ex absentia febris; loco minus periculoso, hepate; causa flatulenta; affectionibus hysteriis, hypochondriacis, plus incommodi, quam periculi, portendens, edito ructu vel flatu illico cessans. Minime omnium periculosa, quin potius salutaris decernitur ea anxietas, quæ in acutis, post coctionem, præcedit crisin evacuantem, ob materiam subactam, sed adhuc aliquo modo spissam, nec dum libere fluere potentem per pulmones.

An fausta vel infausta prædicere possit ægro suo Medicus circa exitum morbi, solummodo scit ex cognitione eorum, quæ accurate observavit contingere in ægro. Hoc est, considerat attentus vires in ægro a sanitate superstites & comparat cum insultibus morbi, ut inde, videns, quantum natura adhuc valeat contra suum oppugnatorem morbum, colligat salutis atque mortis futuræ judicium. (vid. P. Alpin. de præf. V. & M. Lib. 1. c. 1. coll. cum H. Boerb. Inst. Med. §. 1076.) Cum vero hujus fundamentum negotii sint cogniti effectus morbi (9.), non judico, ei diutius esse in hærendum. Quare propero ad curationem.

§. 11. Indicatio hic curatoria est; liberum conciliare humoribus transitum per pulmones, per hepar. Sed cum sint diversæ mali causæ, requiruntur diversa etiam remedia, ad satisfaciendum huic indicationi. Hinc, si per sua signa cognitus est morbus præsens ab inflammatorio viscido, cum magna febre, calore ad pectus, frigore extremorum, respiratione difficili, rubore faciæ, pulsu duro; conveniet illico instituere medelam antiphlogisticam; quæ hic absolvitur, præcavendo ulteriorem obstructionem, & tollendo jam factam.

Hæc est generalis methodus dicta antiphlogistica, & in scopo, quem Medicus intendit, ultimo, non differt ab ea, quæ in omni morbo ab obstructione orto valet. Erat interim hæc prius proponenda, quam ad specialia transeam, quæ in sequentibus tradenda determinabunt generalem dictam methodum.

§. 12. Ulterior obstructio præcavetur per ea, quæ pressionem in partem obstructam imminuunt; vasa laxant; humores diluunt, solvunt. Quò pertinent: Eductio liquidi vitalis per venæsectionem; per purgantia, sine calore, sine augmento motus, agentia, post Vstnem danda, ob rationem, quam dat Sydenham (*oper. p. 395*): Fomenta blandissima, emollientia, refrigerantia, ex aqua sola, vel cum incoctis plantis, viscoso, nullo modo acri, succo præditis, maxime cum farinosis, oleosis, oleis ipsis blandis, recens expressis: Cataplasmata, emplastra, similia, tepide ad loca affecta adplicanda: Vapores aquæ calidæ, humectantes, admisto paucio aceto, paucisque herbis aromaticis adjectis, totum corpus alluentes, per nares, os, in pul-

pulmones assiduo ducti : Clysmata ex similibus facta , sæpe ,
 parca copia simul , injecta , diu retenta : Interne propinata di-
 luentia , aquosa , emulsa , cum aqua & farinosis parata , subaci-
 da , leviter nitrosa , lenientia , parum mellita , actu calida ,
 haurienda magnâ copiâ : Anodyna : Victus tenuissimus , ex se-
 ro lactis , lacte ebutyrato , hydrogala , ptisanis , fructibus ho-
 ræismaturis , coctis in aqua , addito parum sacchari vel mellis :
 Aër moderate calidus , subfrigidiusculus , humidus . Obstructio
 facta tollitur usu modò dictorum ; nam imminuto impetu liqui-
 di vitalis , sublata densitate ejus , laxatis vasis , materia stagnans ,
 obstruens , non retinebitur diutius impacta suis locis ; observa-
 ta solum hac cautela , ut , durante adhuc medela , addantur le-
 vissime aromatica , & , obtento semel scopo , ab ulteriore usu
 priorum absistatur , ne , vita labefactata nimis , seu debilitato
 tono , corpus fiat oppletum inertis pituita , indeque pendentibus
 obnoxium malis . Tum continuetur aliquantulum usus leviter
 aperientium , junctis simul analepticiis moderate roboran-
 tibus .

Dixi , fateor , universam curationem omnibus febribus acutis pro-
 priam , & vereor , ne hoc ipso fuerim molestus ; sed oportebat id fieri
 propter casum positum (11) . Ut aliqua adhuc hic adjungam , ad usum
 specialem laudatæ methodi , prohibet me quidem ejus adplicandæ facili-
 tas , omnibus cognita Medicinæ initiatis ; exigit vero ratio præsentis dis-
 sertationis , in qua B. Lectori exhibere teneor , non solum ea , quæ ad
 ipsius intellectum rei propositæ requiruntur , sed etiam quandoque illa ,
 quæ doceant , quomodo ipsemet ego rem concipiam in ipsa adplicatio-
 ne . Itaque pauca hic attingam talia . Missio sanguinis , uti semper fe-
 re indicatur in obstructionibus referendis inflammatoriis in principio
 instituenda ; nam sæpe momento post factam eam visæ sunt fieri reso-
 lutiones per sudores , vomitum , alvum , urinam , &c : ita , nî justa
 circa eam moderatio adhibeatur , nequid fiat vel nimis vel minus , no-
 xia evadere potest . Priori enim in casu pressio simul & semel minuitur
 omnis , & mors acceleratur , demtis omnibus homini viribus , requisi-
 tis ad subigendam materiam obstruentem , ope advectorum eò medica-
 mentorum diluentium , solventium . Non sufficiens vero sanguinis edu-
 ctio non solum expers erit auxilii expectati , sed & , quia sanguis , nactus
 libertatem , jam incipit fluere , febris incendetur , malum augebitur . (vid.
G. E. Stahl de VS. in febr. acut. §. 10. & 57.) Quanquam fere semper ,
 hærente obstructione in pulmonibus , post VSnem febris fiat statim ma-
xima,

xima, calore, per motum sanguinis, se diffundente per omnes partes; quod tamen præstat, quam si circa vitalia ille calor solus sit, & boni potius, quam mali est ominis. (*vid. Alpin. de præf. V. & M. l. 2. c. 13.*) Quid igitur determinabit quantitatem educendi sanguinis? Solus, puto, pulsus talis, qui doceat superstitem adhuc motum humorum per vasa, qualis requiritur ad circumducenda medicamenta hic ingerenda. (*conf. Sydenh. oper. p. 62. sq.*) Quod ad locum: in pede instituendam VSnem maxime tunc requiretur, ubi magnas sanguinis ad superiora congestiones docet faciëi rubedo &c. & pro satis valida derivatione non sufficientem fore VSnem in brachio cognoscitur. Purgatio antiphlogistica laudata duos debet præstare effectus: 1. solvere sanguinem sine motu, sine acrimonia; 2. solutum deducere per vias mesentericas in intestina. Hujus census sunt Tamarindi, Manna, Senna, Rhabarbarum, Cremor Tartari, Sal Polychr. Syr. rosar. solut. Cichor. cum Rheo, Elect. Diaprun. Fructus horæi maturi acido-dulces &c. maxime, si cum magna quantitate liquidi tenuis assumantur. Poterit itaque præscribi potio communis purgativa Sydenhami (*vid. ejus oper. p. 715.*), vel simile quid; e. g. si homo adultus, pro pauperibus possunt ordinari mellis Unc. iij. sumendæ cum sero lactis, cui pruna acido-dulcia incocta, quale decoctum pro potu ordinario usurpandum eo usque, donec purgatio satis bona successerit; &, si conditio fert ægri, potest simul incoqui Cremor Tart. ad drachm. iv. vel v. ac tum non necesse erit, tam diu, ut ante, repetere usum decocti: Pro ditioribus ꝑ. Pulp. Tamarind. unc. ij. Fol. Senn. f. ft. drach. ij. Sal polychr. scrup. ij. Cum aq. Fumar. decoqu. per dimid. horæ, & in colat. unc. iv. fervid. adhuc dissolv. Mannæ, Syr. Cich. cum Rheo anadrach. v. F. Haustus. Ut melius determinetur adsumtum catharticum, in intestina minus resistentia, injiciatur mox post illud sumtum, enema ex aqua simpl. vel lacte, vel sero lactis, vel decoct. hord. unc. iv. cum mell. unc. j. Aut pro ditioribus ꝑ. Rad. Gram. unc. sem. Fol. Acanthi Mij. Flor. Melilot. Borr. ana. pij. Cum aq. dest. Flor. Rosar. decoctis admisc. nitri puri scrup. i. Syr. Alth. unc. sem. F. Clysma ad unc. iv. vel v. Si tamen adhuc metuis turbas in M. S. ab assumpto purgante, procede, ut vult Sydenham (*oper. p. 227.*) quamvis de illis non necesse erit metuere, si clysmatibus addas tyrum aliquem papaverinum, vel etiam similem immiscueris ipsi purganti per os dato. Sic enim anodyna hic juvat adhibere. Si post assumptum purgans, clysmainjectum, sitiat æger, & requiratur humectans aliquod, præscribi potest ptisana aliqua, pro lubitu bibenda, parata ex hordeo, avena &c. addito pauxillo oxymellis, vel succi limonum, ad gratam aciditatem, vel Rob. Ribesior. Syr. Moror. Mel. rosar. Vin. rhen. Sacchari, Nitri, parum, pro exigentia & conditione ægri: V. G. ꝑ. Aq. Rosar. Cinnam. ana. unc. vj. Nitr. antim. drach. sem. Syr. Capil. Vener. unc. j. sem. acetosil: Citr. q. f. ad gratam acidit. F. Mixtura cochleatim sumenda. Si placet Emulsio, detur facta f. a. ex sem. iv. frig. maj. min.

min. avenæ, amygdal. Card. bened. Card. Mar. Malvæ, Altheæ, vel similibus, cum aqua simpl. Decoct. Hord. Aq. stillat Rosar. Gramin. Ceras. n. &c. addito, ad gratum saporem, saccharo, melle, syrupo aliquo, vel Julepio rosar. &, si placet, parum nitri. Dictis, similibusve, possunt interponi, succedere, vel admisceri, succi herbarum saponacei, solventes, rec. pressi, v. g. Cichorei, Tarax. Sonchi, Scorzon. Beton. Lactuc. Portulac. Fumar. Becabung. Gramin. Tragopog. &c. Hæc omnia, una cum aëre, fomentis, commendatis, post purgationem adplicandis, motum nimium in corpore sistunt, refrigerant, h. e. tollunt causam caloris, nempe densitatem inflammatoriam in liquidis, stricturam in vasis, quod hic requirebatur (*vid. §. 5. coll. §. 4. a.*). Ex his vero liquet, cur sæpe homines plethorici, tentati cogitationibus sibi inferendi manus, ad saniolem reducantur mentem factâ VS ne, & datis medicamentis antiphlogisticis, ordinatoque victu tenui?

§. 13. Si adest anxietas sine prægressa inflammatione acuta, absente febre, tractari debet per ea, quæ morbo (2.), cujus est effectus, sunt curando dicata; sublata enim causa, cessabit sua sponte. Ubi vero adfectio spasmodica est causa; ab acri irritante, si sensibile est & cognitum, hoc auferendum; si autem corpore jam susceptum, v. g. ab accepto veneno, indicantur corrigentia, vel expellentia, juxta ea, quæ in bonum generis humani sine fūco communicavit cum orbe erudito antiqua virtute & fide conspicuus Herm. Boerhaave, in Instit. tit. de Antidot. In specie, anxietas spasmodica virorum hypochondriacorum & foeminarum hysteriarum, inducta per commotiones animi, vel adsumta flatulenta, sine febre, cum pulsu bono, indicat laxantia constrictorum: quod pertinent carminantia; antihysterica; anodyna; narcotica; animi affectum sedantia; clysmata, epispastica, laxantia, anodyna; cucurbitæ magnæ, sine scarificatione, ad epigastrium, hypochondria, umbilicum, impositæ. De curatione anxietatis ex affectione hypochondriaca, à materie atrabiliaria accumulata ad hypochondria, infarciēte partes ibi positas, hic in specie non ago; quia hæc, profligato morbo primario, disperebit.

Dixi (6.), quomodo concipiatur fieri anxietas ab spasmodio, flatulento, Hypochondriacorum & Hysteriarum, adfectu. Modò brevibus, ut habeatur ratio curationis, oppositæ morbi causis, dispiciendum, quid proprie per dictam illam passionem hystericam in foeminis, hypochondriacam

cam in viris, intelligatur; ex quibus simul quædam, in antecedentibus adsumpta, clariora fient. Hypochondriaco, vel hysterico, homines adfectu correpti dicuntur, qui post ingentes animi commotiones, ad quas valde sunt proni; post vehementiorem corporis motum, maxime diu existente jejuno ventriculo; post nimias evacuationes, per vomitoria, purgantia, hæmorrhagias; afficiuntur symptomatibus spasmodicis, convulsivis, dolorificis, omnes fere mentientibus morbos; urinam reddentes copiosam, limpidam valde; pulsu interim, etiamsi aliquando ad extrema valde frigeant, existente non vitiato; sæpe, edito ructu, vel flatu, liberi facti. Fœminæ præ viris huic malo subjacent, eæque in primis molles, uti vocantur, & teneræ, vitam sedentariam agentes: raro rusticæ, laboribus deditæ, omnia magis rigida habentes. Sydenham spiritum animalium *ἀνὰ ζῷον* omnium dictorum causam accusat, ita, ut ab eorum inordinato influxu, & impetuoso, omnia dicta mala fieri censeat. Sed videamus, quomodo possit demonstrari hocce adsertum celebris auctoris, quod à multis negatur. Spasmus dicitur musculi contractio invita, violenta, permanens (quæ mox remittens, irerumque redeuns vocatur convulsio). contingit tantum in homine vivo, hic autem differt à mortuo per motum humorum: Ergo pendet a mobilitate humorum. Quia autem contractio est violenta, hinc erit violentus impulsus humorum in partem. Si hæc penderet à sanguine, deberet cor violentius contrahi, & pulsus esse fortior, febris, (*Boerh. aph. n. 570—574.*) Sed fœminæ, corpus habentes spongiosum, molle, non plethorici, sed potius leucophlegmatici, habitus, & infantes similis constitutionis, maxime sunt obnoxii spasmodicis affectionibus, minus vero febriles motus experiuntur; contra vero homines stricti habitus, laboribus dediti, sanguinem habentes magis compactum, maxime dispositi sunt ad subeundos motus violentos sanguinis, & febres, nec ita frequenter spasmis adficiuntur. Ergo non in sanguine, sed in alio humore erit quærenda causa spasmodicarum contractionum muscularium; illarum scilicet, quas liceat adpellare sine materie, ad distinctionem illarum à materie. Nec hucusque aliquid puto me adsumfisse, quod non ab omnibus concedatur Medicis. Jam videmus 1. ad omnes musculos ferri nervos; 2. hos oriri à cerebro, cerebello, oblongata medulla, medulla spinali; 3. læso horum aliquo oriri convulsiones, spasmos. Ergo a nervis violenter adfectis erit arcessenda spasmodorum causa. Per nervos vehitur subtilissimus, mobilissimus omnium corporis nostri humorum, qui dicitur spiritus nervosus, seu liquidum nervosum, (*vid. Boerhaave Instit. §. 274. sq.*) qui constituit interiorem Sydenhamo hominem, solo rationis lumine contemplandum (*vid. ejus oper. p. 496.*). Ergo in hujusce humoris mobilitate ponetur natura spasmi in origine sua considerati. Adeoque bene Sydenham spasmos Hypochondriacorum, Hystericarum, adscribit *ἀνὰ ζῷον* spirituum. Si non placet vocabulum spiritus, nihil refert, non enim faciunt nomina ad rem

rem ipsam; in verbis simus faciles, &c. Dicitur quidem, non posse concipi, quomodo anima nostra, commota in sic dictis animi pathematibus, illico exferat tantas & tam miras mutationes in corpore per spiritus dictos? Respondeo: modum nescio; sed novi simul, te, quaecunque adsumferis hypothesin, non posse explicare, quomodo anima talia perpetret & exequatur; quod enim illa non indigeat instrumentis ad motus in corpore generandos, sed omnia immediate faciat, nollem facile dixeris, quia omni momento potest monstrari talis falsitas adferri. Nam, quæso, quomodo homo, attollere volens humerum suum, id faciet, vel decies, imo centies, consentiente, imo volente omnibus viribus suis anima, si fortior alter quis comprimendo teneret musculum deltoidem, vel si hic dissectus esset? Sed an, ubi medicus nescit explicare modum fiendi in phænomeno aliquo corporis humani, res ipsa debet statim negari? Putarem, quod, qui talia adferit, contra omnem bonum loquatur sensum. Novimus omnes, quanto terrore adficiantur sæpe homines, in primis sensibiles, (quos vere Hypochondriacos explicato sensu dixeris) si ex improvviso corpore frigido, v. g. frusto glaciæ vel ferri, cutis eorum calida attingitur, ut etiam suboriantur convulsiones. Scimus, ex imaginatione sola rei nauseosæ, hominem fieri nauseosum, imo vomere. Explicet, qui potest, quomodo & qua relatione animæ in corpus talia contingant, & erit mihi magnus Oedipus. Unde est, quod, anima nolente, homo in curru sedens, obversum tenens equis dorsum, incidat in vomitus? Ego certe Davus sum, non Oedipus, credoque multa nifibus & visibus humanis imperscrutabilia esse (*vid. Boerb. Instit. §. 27. K. & 28. 29.*). Quare Sapientiæ divinæ non placuerit intellectum nostrum tantis instruere viribus, ut talia penitus introspiceret, ego non definivero. Tenta, si tempus suppetit, inquirere in rationem, cur lavans manus frigida, vel os tuum eluens simili, maxime mane de lecto surgens, micturias, etiam si paulo ante urinam reddideris, & dic, quid hic agat anima & cur tale quid faciat. Sed ut rursus ad rem; puto, ex ante adlatis patere, non tantis, dictam opinionem, de spiritibus, premi difficultatibus, ut mereatur commentum vocari. Cetera huc pertinentia non tango, utpote satis prolixè tractata apud Sydenham (*in oper. p. 485. usque ad p. 539.*). Jam intelligitur, cur anxietas hypochondriaca, hysterica, non sit tam periculosa, & quæ sit ratio, quod foeminæ hystericæ, quæ a spasmodis ad organa respirationis jamjam videntur morituræ, uno momento à diro hoc symptomate fiant liberæ? Quia nempe a sanguine, per spasmos illos prohibito ad caput ire, defecit materia pro conficiendis spiritibus, a quibus continuo ad partem adfluentibus pendet ejus spasmus. Cur anodyna profunt in anxietate Hypochondriacorum & Hystericarum? Resp. quatenus diluunt, laxando, humectando, constrictionem in parte tollunt. Cur narcotica debent dari, & quando? In magno dolore, ut acumen sensus obtundatur. Quare

conveniunt carminantia? Ubi adsunt flatulentia in primis viis, quibus fere semper obnoxii sunt viri hypochondriaci & foeminae hystericæ, a constrictione in duobus locis facta, hinc aëre, naturaliter semper ibi hærente, coërcito, qui a calore semper magis rarefit & interceptam partem expandit. Cur sedatio adfectuum commendata? Quia adfectus ut causa considerari debent, quâ conjiciuntur homines in spasmodicas illas contractiones. Cur denique antihysterica profunt? quia prædita volatilibus, penetrantibus, partibus, hinc mox spiritus nervosos adficiunt, utpote maxime mobiles omnium humorum in nostro corpore, eos a parte quadam avertendo, & inordinatum eorum influxum cohibendo, unde tunc æqualiter in omnes partes influunt.

T A N T U M.



COROLLARIA.

I.

Acuta correpti febre, morientes, si mens constat, ultimo adhuc anxietate laborant.

II.

Incubus nil videtur esse aliud, quam anxietas ab impedito sanguinis transitu per pulmones, ob impleta nimis vasa bronchialia, aërea, in somno, plethorunque plethoricos, infestans.

III.

Passio hysterica est idem in fœminis, quod in viris dicitur malum hypochondriacum, sine materie scilicet.

IV.

Hinc scitur, quod immerito accusetur uterus in suffocationibus hystericis; & quam lubrica petantur ex nominibus argumenta.

V.

Remedia antihysterica sunt fœtida, viroso odore prædita, partibus subtilibus, penetrantibus, gaudentia.

VI.

*Hæc eadem remedia sunt illa, quæ diabolo & sagarum
artibus resistere dicuntur.*

